





INDEX

97

- 1) Thomaf. de iure principum
- 2) Ej. de pactis dotalibus
- 3) Ej. de legitima viventis
- 4) Ej. de exstimatione, fama et infamia extra rem publicam
- 5) Ej. de jure detractionis
- 6) Ej. de iudice sententiam in causis criminalibus latam ab actis removente
- 7) Ej. de foro competente et de iurisdictione clericorum et presbiteri
- 8) Ej. de causis prohibitis alienationis feudi
- 9) Ej. de feudo alienabili
- 10) Ej. de inutilitate Brocardi vulgarij
- 11) Ej. de originibus feudalibus
- 12) Ej. de natura precum iudicarij
- 13) Ej. de feloniam domini
- 14) Ej. de non rescindendo contractu condictionis ob metum spectrorum
- 15) Ej. de origine procesus inquisitorij
- 16) Ej. de occasione conceptione ac intentione constitutionis criminalis Carolina
- 17) De Ej. de vera origine, natura, progressu et interitu iudiciorum Westphaliorum
- 18) Ej. de usu practico distinctionis hominum in liberos et servos
- 19) Ej. de usu practico distinctionis horum in ingenuos et liberos
- 20) Ej. de usu practico tituli imperatorum de patria potestate
- 21) Ej. de usu practico tituli imperatorum de his, qui sui vel alieni juris sunt
- 22) Ej. de usu practico doctrinae de impedimentis missionis
- 23) Ej. de usu practico demeritiorum evangelicorum
- 24) Ej. de pactis futurorum spiritualium cum factis horum catalogus scriptorum Thomae in notis





15.  
15.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**ORIGINE  
PROCESSUS  
INQUISITORII,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.  
DUCATUS MAGDEB. GUBERNAT. &c. &c.

In Alma Fridericiana  
*PRO DECRETO ILLUSTRIS FACTORUM ORDINIS,  
SUB MODERAMINE*  
**DN. CHRISTIANI THOMASII,**  
S. R. MAJEST. IN BORUSSIA CONSILIARII INTIMI,  
UNIVERSITATIS DIRECTORIS, AC PROFESSORIS PRIMARII,  
ET FACULTATIS JURIDICAE ORDINARII  
h. t. DECANI,

*PRO DOCTORIS IN VTROQUE IVRE PRIVILEGIIS  
IN AUDITORIO MAJORI*  
Die XV. Maji A. M. DCCXI.  
Horis ante & pomeridianis

*solemniter ventilandam proponit*  
**JOACHIMUS SALTZIEDER,**  
POMERANUS.

*HALAE MAGDEBURGICAE*  
Literis JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO JURIDICA IN AEGYPTIIS

PROCESSUS  
INQUISTORII  
ORIGINE

Quam  
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI  
DR. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPIS BURSUS MARCHEONIS BRANDEN-  
BURGUS MAGISTRI COUNCILORUM &c.  
in Alina Pridgenand  
PRO DOCTORE IN AEGYPTIIS  
SUB MODERATIONE

DR. CHRISTIANI THOMASII  
R. MAJEST. IN AEGYPTIIS CONSILIARI INTIMI  
UNIVERSITATIS DRESDENENSIS AC PROFESSORIS PRIMARI  
ET AUCTORIS JURIDICAE ORDINARIAE  
IN AEGYPTIIS  
PRO DOCTORE IN AEGYPTIIS INFERIORIBUS  
IN Aegypto Majori  
Die XV. Julii A. M. DCCXI.

JOACHIMUS SALTZIEDER,  
POMERANUS

HAER. MAGDEBURGENSIS  
Johann JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.







DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
ORIGINE  
PROCESSUS INQVI-  
SITORII.

§. I.



Inquisitorius Processus *a)*, de cuius Processus In-  
origine quærimus; est ordo judi- quisitorii des-  
cialis, secundum quem iudex ex of- finio.  
ficio *b)* secundum normam indi-  
ciorum quorundam *c)* inquit in  
delicti alicujus commissi *d)* auto-

A 2 rem

a) Non est animus, ut ex-  
actam definitionem Processus In-  
quisitorii dare velim, quæ etiam  
in negotio ab arbitrio humano de-  
pendente & variante vix tradi pot-  
est, sed solum indicare volumus,

quæ, qualis, & quanta sit illa res,  
de cuius origine quærimus, & in  
quonam consistent potissimæ dif-  
ferentiæ inter processum accusa-  
torium & inquisitorium. Ubi ta-  
men iterum assertiones hic positæ  
non



rem, eumq; secundum diversitatem circumstantiarum carceri *e*) includit, ac deficientibus plerumque probationibus *f*) ad eruendam ejus confessionem variis mo-

non erunt ad apices & minutias examinandæ, sed potius secundum id, quod plerumque sit considerandæ.

*b*) Id est sine accusatore vero. Nam et si in processu Inquisitorio etiam addit accusator solennitatis gratia, aut etiam in quibusdam locis aduocatus fisci aliquam figuram accusatoris agat; tamen hi omnes non sunt accusatores veri. (Accusator verus est, qui sponte, non coactus, et si forte premio excitatus, nec dependens a nutu & arbitrio judicis, aliquem de crimine accusat, & si per calumniam id faciat, aut alio modo adversus leges & utilitatem publicam in accusationis persecutione aut neglectu peccet, punitur.) Ergo iudex hic semper duas sustinet personas, actoris & judicis.

*c*) Notum est, indicia triplicis esse generis, ad inquisitionem, ad capturam & torturam. Cur non ad poenam? Respondeo, quia videlicet inquisitorius processus non condemnat secundum indicia, tanquam argumenta dubia, sed

vult probationes luce meridiana clariore, scilicet corpus delicti, indicia, &, si duo testes de ipso crimine commisso deponentes non adsint, confessionem rei. Interim illa indicia ad inquirendum, capiendum & torquendum non sunt determinata, sed ex natura rei vaga & indeterminata, arbitrio hominum maxime varianti subiecta, ac ita multis abusibus obnoxia.

*d*) In hoc valde differt processus Inquisitorius ab accusatorio. Hic posterior præsupponit delictum commissum, certe accusatori antequam accuse de eo debet constare, si nolit se periculo subijcere. At in processu Inquisitorio datur inquisitio generalis; an delictum sit commissum: cujus simile aliquid non apprehenditur in processu accusatorio.

*e*) Squalido & cruciatum animo aut corpori suspecti de delicto ex natura sua afferente, quod etiam ignorat processus accusatorius communitur.

*f*) Quia delicta clam fiunt. Er-



modis torquet *g*), ac post torturam reum vel absolvit vel condemnat ad poenam moribus receptam *b*) patiendam, eamque poenam secundum certum ordinem præscriptum vel usitatum *z*) exequitur.

A 3

§. II.

Ergo per testes & instrumenta raro probari possunt; scilicet ultimi actus consummantes. Interim tamen poterunt probationes indirectæ fieri & artificiales. Nam probatio est actus, qui fidem facit judici. Fides vero oritur etiam ex testibus, qui de circumstantiis antecedentibus & concomitantibus deponunt. Imo nec fides ex testibus de actu immediatis deponentibus major est sua natura, quia ipse iudex tamen non scit, sed credit, & tot possunt esse rationes dubitandi circa depositionem talium testium, quam in probatione artificiali. Igitur processus Inquisitorius ignorat probationem artificialem. Nam illud exemplum: Peperit, ergo non est virgo, pertinet ad artificia rustica & crassissima.

*g*) Potest quidem etiam tortura esse locus in processu accusatorio. Non tamen errabimus, si eam etiam dixerimus esse inventum processus Inquisitorii, & huic proprium, ratione videlicet regu-

larum torquendi & generum torturæ, item ratione universalitatis & quod remedium ordinarium factum fuerit ad inquirendam veritatem occultam. Cum contra apud plerosque populos, ubi in usu fuit processus accusatorius aut adhuc est in usu, vel nulla tortura usurpata, vel certe non ad omnes personas liberæ applicata fuerit.

*b*) Si exactius paulo examinare velis differentiam inter processum Inquisitorium, & accusatorium, deprehendes etiam apud gentes, quibus processus accusatorius placuit, non omnia vitia, quæ in processu inquisitorio ut crimina puniuntur, pro criminibus poenalis fuisse habita, aut si vel maxime talia delicta inter crimina fuerint relata, mitioribus poenis eadem fuisse coercita, poenas vero, quæ una cum inquisitorio processu fuere introductæ, plerumque graviores, & quandoque a crudelitate nota vix excusandas esse.

*z*) Etiam hoc intuitu deprehenditur, aliis gentibus, quibus pro-



## §. II.

*Statu con-  
troversia.*

De Origine hujus processus inquisitorii commu-  
nis Dd. sententia est, eum partim ex jure Naturæ, par-  
tim ex Scriptura Sacra aut lege Mosaica, partim ex jure  
Romano esse derivandum *k*). Verum enim vero nobis  
contra videtur, eum soli juri Canonico & clero Pontifi-  
cio debere originem, id intendenti, ut sub specie justi-  
tiæ imperium in laicos variis artibus diu quæsitum con-  
firmaretur.

## §. III.

*Circa jus Nat-  
urae quaestio-  
nes tres di-  
stincta non  
sunt consum-  
danda.*

Et initio quidem quod jus Naturæ attinet, non  
confundendæ sunt quæstiones distinctæ : Non enim  
quæritur I. An in genere incumbat Magistratui Politico,  
ut operam det, quo delinquentes puniantur *l*); sed  
in specie; an ea cura requirat processum inquisitorium  
præ accusatorio *m*). II. Non quæritur : An processus  
Inquisitorius plane repugnet dictamini rectæ rationis  
*n*), sed uter processus magis conducatur Reipubl. pro-  
cessus accusatorius, an inquisitorius *o*).

ritur :

cessus inquisitorius fuit incogni-  
tus, alio modo exequendi poenas  
debitas fuisse usas.

*k*) Non opus est, ut hic dissen-  
siones allegemus, cum partim sit  
res notissima, partim vero ideo  
abstineamus ab eorum allegatio-  
ne, cum propositum hic sit, salva  
eorum existimatione & veneratio-  
ne dissensum nostrum rationi-  
bus prægnantibus, seposito præ-  
judicio autoritatis modeste pro-  
ponere, Quamquam non sit

diffidendum, plerosque eorum se-  
qui præeuntem Carpozovium *Pract  
Crim. qu. 103.*

*l*) Quis enim hanc assertionem  
in dubium unquam vocaret?

*m*) Et quidem processum In-  
quisitorium prouti a nobis descri-  
ptus est §. I.

*n*) Si enim plane repugnaret,  
nec extra ordinem posset adhi-  
beri.

*o*) Nullum est dubium, quod,  
uti omnes actiones humanæ etiam  
alias



ritur: an, ubi processus accusatorius receptus est plane debeat cessare omnis inquisitio magistratus & poena delinquentium, etiam ubi delicta sunt notoria & nemo vult accusare *p*); sed quæritur: An Inquisitorius processus tanquam remedium ordinarium *q*) recipiendus sit in republ. præ processu accusatorio, *r*)

§. IV.

alias maxime indifferentes, abuti pariter ac justo usui sunt obnoxia, ita vel maxime etiam processus accusatorius potest suis navis laborare. Cum tamen navi hic intelligantur non tales, qui ex mera malitia hominum oriuntur etiam inventis saluberrimis & prudentissimis abutentium, sed qui afficiunt ipsum statum Reipublicæ ac leges vel mores ejusdem, ubi nempe leges vel mores an- fam præbent, & multas occasio- nes suppeditant abuti volentibus ob defectum prudentiæ in legisla- tore, vel ejus neglectum; inde haut dubie ille processus alteri præfe- rendus erit, qui tot abusus non est obnoxius, quam alter.

*p*) Quod variis modis contingere potest; si delinquentes sint valde potentes, si judices ipsi delinquentibus saveant, aut pariter ejusdem delicti rei sint, si magna sit delinquentium copia, ut

accusator justam metuendi periculi causam habeat, &c.

*q*) Ergo non negamus, quod extra ordinem magistratus possit inquirere in delinquentes ejusmodi, eosque convictos aut notorios, etiam deficiente accusatore, punire. Quamvis & hic addendum sit; aliud esse; inquirere in publicos & notorios delinquentes, eosque absque præcedente accusatione damnare; aliud esse an processus inquisitorius a nobis definitus sit aptus, ut etiam extra ordinem magnam utilitatem in Republ. præbeat. Etenim nec hoc nobis videtur. Unde distingue- re etiam poteris inter inquisitionem & processum inquisitorium: Quamvis hæc distinctio jam lateat sub dictis §. I.

*r*) Notandæ fuerint hæc confusiones, etsi satis evidentes, quæ dissentientes perpetuo hic impingunt;



## §. IV.

*Probatio hic  
incumbit dis-  
sentientibus.*

Cum vero processus accusatorius præ Inquisitorio apud omnes Gentes receptus, & processus Inquisitorius novioribus temporibus demum introductus fuerit s), non opus est, ut nos probemus, processum inquisitorium non esse meliorem accusatorio t), sed expectabimus potius, quid contra accusatorium pro inquisitorio afferant Doctores, originem processus inquisitorii ex jure Naturæ deducentes. u)

## §. V.

*Quos tamen*

Sed cum id nonnisi superficialiter fieri soleat à dis-

sententibus, quod miraremur fieri, etiam a JCtis Protestantibus & viris alias magni nominis, nisi recordaremur simul, JCtos Protestantes & viros magni nominis etiam, esse homines, difficulter sentientes errores, qui communi autoritate per longum tempus in scholis introducti & in libris systematicis & pragmaticis propagati sunt. Et quamvis istæ confusiones hic memoratæ etiam occurrant in quæstionibus de origine processus Inquisitorii ex sacris literis, vel jure Romano deducta, tamen opus fuit, ut vel maxime intuitu juris Naturæ istæ quæstiones confusæ distinguerentur, quia neglectus hujus observationis in quæstione de jure Naturæ in causa fuit, ut Do-

ctores dissentientes confusionem istam non sentirent in assertionibus reliquis erroneis de origine processus Inquisitorii.

s) Vide quæ notabimus infra §. VI. seq.

t) Præsumitur enim id, quod apud omnes gentes receptum est, suo modo à jure Naturæ originem ducere; aut certe naturæ rerum, ac regulis prudentiæ esse magis conveniens, quam id, quod demum novioribus temporibus à certo populo vel ordine est introductum, donec probetur contrarium.

u) Id enim secundum regulas bonæ disputationis per ea, quæ §. preced. notavimus, hic probari debet.

w)



sentientibus w), adjuvabimus eos bona fide & plura <sup>b. f. adjuvabimus.</sup> pro inquisitorio processu afferemus argumenta, quam apud ipsos deprehendimus, subjunctis breviter responsionibus.

## §. VI.

Igitur initio Principis vel judicis officium consistit in eo, ne delicta maneant impunita, ergo etiam officium judicis consistet in eo, ut inquireat in delicta, etiam si nemo accuset. Respondeo 1. probat hoc argumentum saltem utilitatem inquisitionis tanquam remedii extraordinarii, non vero tanquam remedii ordinarii x) 2. Nec prius firmiter inferitur, si addas priori propositioni, officium judicis consistere, ne delicta maneant impunita, limitationem, si quis poenam a judice postulet. y) 3. Officium judicis in genere consistit in eo, ut in ad-

B

mini-

w) Vix enim alia invenimus, quam sequentia. Judici incumbere, ut delicta puniantur : At vero hoc sine processu Inquisitorio fieri non posse, ergo jus Naturale, dum jus dat ad finem, dedisse etiam censei ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Neminem enim invitum cogi ad accusandum. Quare si accusator non existeret, plurima delicta impunita mansura esse cum insigni Reipubl. detrimento. Item processus accusatorius saepe durare plures annos, at processum inquisitorium esse summarium &c.

x) Adde, quod hoc argumentum etiam probet saltem utilitatem inquisitionis in genere, non processus inquisitorii in specie per dicta ad §. III. lit. q.

y) Scilicet uti in actionibus civilibus officium judicis consistit in administratione justitiæ, si judex imploretur ab actore, propterea tamen officium judicis non postulat, ut haut imploratus inquireat adversus eos, qui id, quod secundum regulas justitiæ facere debent, etiam injustissime facere negligunt, ita etiam par videtur esseratio judiciorum criminalium, ut judex



ministranda justitia non sit partialis, unde ex natura  
judicii cujusvis tres ad quodlibet judicium constituen-  
dum requiruntur personæ distinctæ: actoris vel accu-  
satoris, rei & judicis, z).

## §. VII

judex puniat delicta, si aliquis ex  
populo adsit, qui accuset reum,  
non autem, si, cum omnibus ex po-  
pulo accusare permissum sit, nemo  
tamen ex populo inveniatur, qui  
administrationem justitiæ postu-  
let. Scio quidem, etiam in civili-  
bus officium judicis distingui in  
nobile & mercenarium: adeoque  
forte dissentientes ad officium ju-  
dicis nobile referent, ut inquirat  
in delicta, si nemo accuset; sed scio  
etiam, in civilibus officium judicis  
nobile usum habere post actionem  
institutam, nunquam vero exten-  
di eo, ut judex actoris partes susti-  
neat. Breviter committit hoc ar-  
gumentum petitionem principii.  
Id enim totum in quaestione est;  
an judex teneatur ex officio inqui-  
rere in delicta, si accusatores desi-  
ciant.

z) Uti enim nemo potest se ip-  
sum convenire, ita etiam nemo  
potest judicare in causa propria.  
Nec sufficit, quod dicatur, in pro-  
cessu inquisitorio indicia sustinere

vices accusatoris. Indicia enim  
sunt facti circumstantiæ. At ac-  
cusator persona est, & hic aperte  
confunduntur persona & facta,  
quorum alias natura in jure diver-  
sissima est; & adeo hæc etiam pal-  
liatio petit principium. Eadem  
est ratio alterius effugii, scilicet  
judicem etiam debere esse sollicitum  
de defensione rei, ne videlicet  
hic iniusti quid patiatur. Nam  
ut taceam, istud saltem doceri in  
theoria, nusquam vero deprehen-  
di in praxi; ipsa assertio hæc to-  
tum processum inquisitorium ma-  
gis reddit suspectum, ut non di-  
cam ridiculum. Secundum il-  
lam enim unica tantum erit perso-  
na in processu inquisitorio, vide-  
licet judicis, qui simul actoris &  
rei partes sustinebit. Qui risum  
populo excitare volunt, solent ei  
fabulam exhibere, ubi quis simul  
judicem, actorem, & reum agit.  
Prævaricationis crimen est, cum  
quis partes actoris & rei in proces-  
su accusatorio sustinet. Quo-  
modo



## §. VII.

At ex propria confessione nostra possunt casus ex-  
istere, ubi deficient accusatores, & quidem cum eviden-  
ti damno reipubl. a). Ergo hic saltem opus erit pro-  
cessu inquisitorio. Negamus & hoc, quia alia media  
adhiberi possunt, salvo processu accusatorio b).

2. Argumen-  
tum a defi-  
cientia accu-  
satorum.

## §. VIII.

At in processu accusatorio accusatores, inprimis  
præmiis excitati, sæpe sunt calumniatores. Ergo hic  
saltem utilitatem præstabit processus inquisitorius. Et  
hoc negamus, partim, cum & in hoc casu alia adsint me-  
dia, salvo processu accusatorio c), partim, quia proces-  
sus

3. A calumniis  
accusato-  
rum.

B 2

sus

modo igitur iudicem liberabimus a  
prævaricatione, si insuper simul  
fit iudex. Quod si dicas: præva-  
ricator est, qui aperte personam  
unam sustinet, occulte autem al-  
teri parti favet; regeram, idem  
posse in processu inquisitorio ju-  
dici occini, quod aperte simulet,  
quod accusatoris partes sustineat,  
occulte tamen, forte corruptus a  
reo, huic favet, aut quod aperte  
simulet quidem, quod sit sollici-  
tus de defensione rei, occulte ta-  
men omnia agat, quo reus conde-  
mnetur. Ut taceam, in eo, qui  
jubetur accusatoris partes sustine-  
re, & tamen sollicitus esse de rei  
defensione, quæcunque ejus præ-  
varicatio nunquam detegi possit,  
cum ita non adsit modus fecer-

nendi ea, quæ aperte aut occulte  
faciat. &c.

a) Vide dicta ad §. 3. *lit. p.*

b) Scilicet si Princeps vel ju-  
dex non foveat delinquentes, si ac-  
cusatores adversus potentes reos  
aut eorum multitudinem suffici-  
enter protegat. Si præmiis exci-  
tet accusatores ad accusationem.  
Si certas personas destinet, qua-  
rum officium consistat in eo, ut  
delinquentes accusent, non tamen  
secundum regulas processus in-  
quisitorii, neque ut hi accusatores  
ab ejus nutu & arbitrio depende-  
ant, ne obstant dicta ad §. 1 *lit. c.*

c) Si videlicet justis accusatori-  
bus dentur præmia, injusti & ca-  
lumniatores graviter punian-  
tur.



fus inquisitorius in hoc passu magis abusus est obnoxius d).

## §. IX.

4. Quod in processu inquisitorio puniantur etiam delicta occulta.

Solet & illud afferri pro præstantia processus inquisitorii, quod hic inquiratur etiam in delicta occulta, & quæ absque testibus committi solent, nec post se relinquant opus in sensus incurrens. Verum enim vero hic iterum supponitur tanquam indubitatum, quod tamen valde dubium est, quasi scilicet expediat Reipubl., omnia delicta occulta punienda esse e).

## §. X.

d) Etenim, ut infra videbimus §. 13. lit. p. q. r. in processu inquisitorio denunciante per calumniam, in primis si denunciatio jurata sit, fere nunquam puniuntur, aut certe non nisi rarissime. Fac etiam, horum calumniam sufficienter coerceri, quis coarcebit judicem injuste hic procedentem. Actio civilis adversus judicem in causis civilibus inique judicantem exulat in foro, etsi in theoria quotidie inculcetur. Scilicet ob potentiam judicum, ob diuturnitatem processus & difficultatem probandi iniquitatem a judice commissam. At in processu criminali inquisitorio adhuc difficilior redderetur probatio, cum ex dicendis appareat, quod in processu inquisitorio plura capita relinquantur judicis arbitrio, quam in processu quocunque civi-

li, vel accusatorio,

e) Scopus Reipubl. cujusvis in puniendis delictis est, ne alii, qui similiter delinquere poterant, irriterentur ad delinquendum, si videant, delicta esse impunia. Sed quomodo irriterentur illi, quibus incognitum est, an aliquod commissum sit delictum? De occultis non judicat Ecclesia. Cur Reipubl. igitur de occultis judicare deberet? In primis cum forum Reipubl. sit externum, ecclesie vero forum communiter dicatur esse internum, an recte id fiat, jam non disputo. Sed tamen alii, quamvis pauci, sciunt, delictum occulte esse commissum. Saltem ergo hæc non debeant esse impunita. At vero de his non loquimur. Et fac etiam, de illis sermonem esse, ad talia sufficiet processus accusatorius. Si urgeas



## §. X.

Verum in processu inquisitorio etiam delicta non occulta puniuntur, quæ alias poenam a lege civili constitutam non habent, & in quibus adeo non locum habet processus accusatorius v. g. delicta carnis a Legibus Civilibus neglecta, adeoque horum saltem intuitu commendabitur processus inquisitorius præ accusatorio. Nos vero invertimus argumentum, & potius quærimus, quis potestatem dederit inventoribus processus inquisitorii, ut potestatem legislativam sibi arrogaverint, & vitia cum criminibus contra principia moralia & juridica confuderint f).

*§. Quod ex non occultis etiam illis, quæ legibus civilibus non coercentur poenis.*

## B 3

## §. XI.

geas, saltem delinquentem occulte, irritari ad delictum idem repetendum, vel majora etiam patrandam, si non statim puniatur; respondebo: in viribus humanis non esse, ut omnia irritamenta ad delinquendum, tantum abest, ut omnia occulta irritamenta tollantur Republ., ergo nec extirpationem ejusmodi irritamentorum esse finem Reipubl. De inde finem suum obtinebit Republ., si hic, qui antea occulte deliquit, postea puniatur, cum testes adsunt de delicto repetito. Neque enim in potestate delinquentium est; ut delicta semper occulte committant, in primis cum postea securius agere soleant, nec tantam circumspersionem, ut antea, adhibeant.

f) Vitium & crimen valde dif-

ferunt. Crimen est, quod lædit præcepta justitiæ, cujus administrandæ gratia Republ. sunt instituta. Vitium vero violat insuper præcepta honesti & decori. Virtus sui ipsius poenam. Si vigeas: Imo honorem virtutis præmiū esse, regram, dedecus & ignominiam esse vitiorum poenam. Si Lator istam normam secutus poenas saltem criminibus; quo jure alius in Republ. ex vitiis omnibus crimina efficere audeat, cur potestatem legislativam ad se non pertinentem vi vel fraude sibi vindicat? Taceo, quod valde suspectam reddat hanc prærogativam processus inquisitorii, quod saltem vitia voluptatis notet,



## §. XI.

6. quod pro-  
cessus in-  
quistorius insti-  
tuendus sit  
secundum  
normam  
certorum in-  
diciorum.

Sed tamen in processu inquisitorio non omnia licet judici pro libidine sua & mero arbitrio agere; verum adstrictus est ad certa indicia tanquam ad normam. Imo potius ad incerta, & quorum determinatio arbitrio ejus, etsi non mero, saltem valde laxo, & nullis certis regulis adstricto subjacet g). Adde, quod & hoc intuitu nulla sit differentia inter processum inquisitorium & accusatorium, cum & accusatoribus præscripta sit probatio similium indiciorum ad obtinendam capturam & torturam reorum h).

## §. XII.

ret, quæ fere communem omnium honestati vel minimum addiciorum detestationem incurrunt. Cur non etiam notarunt pœnis vitia ambitionis & avaritiæ, Zelum intempestivum, fraudes, scilicet pias, hypocrisim &c.

g) Constit. Crim. art. 13. Die selben Sach/oder Wahrzeichen/so ein redlich gnugsam Anzeigen/Argwohn/oder Verdacht geben/seynd nicht möglich alle zu beschreiben. Damit aber dennoch die Ambtleut / Richter und Urtheiler / so sonst dieser Sachen nicht berichtet seyn/ desto daß merken mögen/ woraus eine redliche Anzeigung zc. kommen kan; so sind deßhalben die nachfolgende Gleichniß zc. hernach gesetzt. Idem postea repetitur art. 24, Sed

hæc intentio vix obtinere potest destinatum finem. Si enim iudices sint imperiti, non eruditiores reddentur per similia, quia similia non probant, sed illustrant. Si sunt periti & eruditi, non opus habent doctrina ex loco similia. Ergo patet, quod prolixior etiam doctrina de sufficientibus indicia nullam possit dare prærogativam processui inquisitorio præ accusatorio, quatenus hæc doctrina multis abusibus apud imperitos iudices aut malitiosos, sub prætextu tamen juris, semper erit obnoxia.

h) Scilicet si respicias processum accusatorium etiam noviorum temporum, Constit. Crim. art. 12. verbis: Nehmlich daß er der Ankläger / wo er die peinliche Rechtfertigung nicht ausfüh- ren



## §. XII.

In eo tamen forte præstantior erit processus inquisitorius præ accusatorio saltem vetere, aut qui apud alias gentes adhuc in usu est i), quod in accusatorio rei etiam propter indicia condemnentur, in inquisitorio nunquam condemnentur super solis indiciis, sed vel factum ipsum debeat probari, vel confessio rei adesse k). Imo nec sic aliquid obtinebis. Quidsi enim indicia sint luce meridiana clariora l), quid obstat, quo minus con-

7. quod in  
processu in-  
quisitorio rei  
non condem-  
nentur sine  
confessione  
ob sola indi-  
cia

rean. und die geklagte Miß-  
that oder aber redliche Anzei-  
gung zc. derselben / in ziemlicher  
Zeit / die ihm der Richter setzen  
würde / nicht dermassen bewiñ  
zc. Ergo posito, quod etiam illa in-  
dicia & eorum probatio certitudi-  
nem quandam habeant, tamen,  
quatenus habent, nullam dabunt  
prærogativam jure Naturæ pro-  
cessui inquisitorio præ accusato-  
rio.

i) V. g. Apud Romanos & Græ-  
cos olim, ubi tortura non erat in  
usu, aut saltem adversus servos  
usurpabatur. Item hodie apud  
Anglos aliosque populos. Nam  
ex Constitutione Criminali hac  
parte iterum nulla est differentia  
inter processum inquisitorium &  
accusatorium per d. art. 12. jun-  
cto art. 22. de quo statim.

k) Dicitur art. 22. Es ist auch

zu mercken / daß niemand auff ei-  
nigerley Anzeigung zc. endlich zu  
peinlicher Straff soll verurthei-  
let werden / sondern allein pein-  
lich mag man darauß fragen zc.  
Dann soll jemand endlich zu pein-  
licher Straffe verurtheilet wer-  
den / daß muß aus eignen Beken-  
nen oder Beweifung zc. bestehen /  
und nicht auff Vermuthung oder  
Anzeigen.

l) Nec mirum hoc alicui videri  
poterit, quomodo indicia pos-  
sint dici luce meridiana clariora,  
cum indicia saltem pariant præ-  
sumptiones & suspensiones, aut ar-  
gumenta verosimilia saltem & ita  
lubrica & fragilia. Sed facilis est  
responsio, eaque multiplex: r.  
Omnia argumenta, quibus proba-  
tur crimen, pariunt saltem vero-  
similitudinem in judice, non sci-  
entiam. Testes v. g. quidsi enim  
sint



demnari possit reus, etiam ob sola, sed talia tamen indicia, sine confessione m)? Deinde si vel illa maxime robor aliquod huic argumento ineffet, valeret aliquid, si confessio delinquentis esset spontanea, & non tormentis, sæpe gravioribus ipsa poena n), extorta.

## S. XIII.

sint falsi testes, aut qui deponant de rebus incredibilibus, aut bona fide errent &c. Confessio, etiam spontanea. Quidsi enim reus ex melancholia confiteatur crimen, etiam ubi de corpore delicti constat &c. 2. Verosimilitudo, præsumptio, suspicio habet suos gradus, ita, ut ex illis nonnullæ proximè accedant ad scientiam, quæ & propterea à Doctoribus violentæ aut præsumptiones juris & de jure dicuntur. Unde & commentatores mirifice ad *d. art. 22.* inter se dissentiunt, an & quatenus præsumptiones possint sufficere ad condemnationem. 3. Indicium luce meridiana clarius illud est, quod quidem non probat actum immediate ultimum delicti consummati, sed tamen actus antecedentes & concomitantes, ita, ut nulla ratio dubitandi subsit, quam reus delictum tamen negans pro innocentia sua afferre possit, quæ ullam verosimilitudinem habeat. 4. Etiam confessio per torturam

extorta nullum addit pondus indicii præcedentibus, quia tortura sine respectu ad illa indicia prægnantia & violenta (id est, quæ quasi vim faciunt iudici, ut ob perspicuitatem eorum & evidentiam cogatur fidem iis habere) in se æque est res fragibilis & lubrica.

m) Et hæ dicebantur ab antiquis probationes artificiales, de quibus vide declamationes Quintiliani, & Senecæ, item Orationes Ciceronis passim. Habes simul causam, cur hodie in processibus criminalibus exulent probationes illæ veterum artificiales, ubi processus inquisitorius dominatur. Scilicet, ob persuasionem, quasi istæ probationes faciant saltem indicia & suspensiones ac quasi omnino certitudo dependeat demum à confessione per torturam extorta. Locum tamen habent adhuc hodie in illis locis, ubi solus obtinet processus accusatorius, uti in Anglia.

n) Non equidem negari potest, quod



## §. XIII.

Quemadmodum autem hactenus dicta non solum monstrarunt, processum inquisitorium præ accusatorio nequaquam jure Naturæ comprobari, sed & simul ostenderunt, processum inquisitorium multas ini-

*Demonstratio iniquitatis sub processu inquisitorio Latens præpter cessantem poenam calumniam.*

quod olim apud Romanos, ubi nondum liberi homines torquebantur probationes artificiales delictorum & condemnationes ex solis iudiciis locum habebant; sed & illud notandum, quod istis temporibus poenæ capitales, quæ vitam homini adimunt, & corporis afflictivæ nondum essent receptæ, unde etiam communiter Doctores ad *d. art. 22. C. C. C.* concedunt, in ejusmodi delictis, quorum poena saltem est pecuniaria aut relegatio, posse ex iudiciis & præsumtionibus aliquem condemnari, non vero id procedere in delictis, quæ poenam capitis aut corporis afflictivam secum ferunt. Interim neque hic multum lucrabitur defensores processus inquisitorii. Nam initio non absque ratione adversus ipsos urgeri potest: quod hæc exceptio tamdiu nihil prodest processui inquisitorio, donec probetur, utilitatem Reip. postulare, ut poenæ capitales in delicta statuantur. Ubi tamen

iterum variæ quæstiones affines non erunt confundendæ, 1. An poenæ capitales & corporis afflictivæ repugnent juri Naturæ, aut saltem Christianismo? Hanc negamus, quamvis facile excusamus dissentientes. 2. An possit Resp. prudenter administrari, ubi nullæ poenæ corporis afflictivæ & vitam adimentes sunt in usu. Hanc affirmamus. 3. Utrum prudentius sit, poenas capitales dictare delictis quibusdam, an vero ultra poenas pecuniarias & relegationes, in Republ. graviores non admittere? hic neutram assertionem universaliter affirmandam aut negandam esse censemus, sed pro diversitate circumstantiarum & status Reipubl. modo illam, modo hanc prævalere debere. 4. Utrum indicium bene se habentis Reipubl. esse possit, ubi delicta quædam, sub prætextu justitiæ & zeli singularis, non tantum capitalibus, sed etiam maxime dolorificis, & longius durantiibus ac delinquentes valde torquentibus



quitates, frustra occultatas involvere; ita posterius vel ex eo apparet, si rationes hactenus memoratæ deficerent, quod in omnibus bene constitutis Rebus publ. ubi processus accusatorius fuit receptus, pœnæ graves etiam in temerarios & falsos accusatores fuerint constitutæ o), at in processu inquisitorio nullum remedium sufficiens datur terrendi calumniatores five judices, five delatores p), aut reis innocentibus per ejusmodi calum-

bus coercentur. Hanc negamus & firmiter arbitramur, tales pœnas inventum esse solum tyrannidis. Declaratio autem mentis nostræ ulterior petenda est ex infra suis locis dicendis. His vero ita suppositis facile deinde color pro processu inquisitorio allatus inverti potest. Scilicet dolendum esse, quod cum alias nullum sit dubium, torturam esse graviolem omnibus pœnis pecuniariis, & relegationibus, ad palliendam aliquo modo injulitiam torturæ, inventæ sint pœnæ crudeliores omnibus crudelis torturæ generibus; ac sic causam dari sæpius inquisitis etiam innocentibus, ut ad evitandam crudelitatem torturæ, & crudeliora adhuc supplicia solatium quærant in avrocheiria. Denique demus etiam, aliquem ob probationem artificialem indiciorum propinquorum etiam, non posse condemnari ad mortem,

[quamvis & hic contrarium sit receptum in Anglia] quænam regula juris aut prudentiæ exigit, ut necesse sit, aut saltem prudenter actum eum ad eruendam confessionem torquere; aut, ut non melius sit, eum vel impunitum relinquere ob non probatum delictum, aut saltem hoc in casu pœnam pecuniaria aut relegatione non graviolem eidem dictare.

o) Docebunt id latius dicenda in sequentibus de Republ. Mosarica & Romana.

p) Quia vel plane nulla pœna est dictata adversus judices & delatores, injuste processum inquisitorium dirigentes, aut per calumniam denunciantes, vel si maxime pœnæ mentio fiat in legibus de processu inquisitorio latis, rarissime tamen illa vel applicatur vel etiam ob mox dicenda difficillime applicari potest.

q) Nam



lumniam graviter læsis satisfactionem procurandi q), quin potius variæ ab inventoribus processus inquisitorii inventæ sunt palliationes, quibus etiam evidentissimi & palpabiles calumniatores omnem pœnam evadere queunt r).

## §. XIV.

Ut taceam, torturæ & carcerum squalidorum usum, si non originem, saltem potissima incrementa debere inventoribus processus inquisitorii s).

*Item propter incrementa torturæ & carcerum squalidorum.*

## §. XV.

Postquam hætenus ad oculos demonstravimus, processum inquisitorium, non oriri ex jure Naturæ, sed potius in multis capitibus dictamini rectæ rationis adversari, jam facile prævideri potest, quod Scriptura sacra eum haut quaquam introduxerit, aut cõfendaverit; sed quod dicta Scripturæ eam in rem ab autoribus & defensoribus processus inquisitorii allata, non nisi per torturam evidentissimam eo trahantur, cum Scriptura sacra nihil doceat, quod dictamini rectæ rationis sit adversum t).

*Probatio generalis, quod processus inquisitorius non possit ex scriptura sacra deduci.*

C 2

## §. XVI.

q) Nam primo diurnitas processus ad refarciendum damnum & restitutionem famæ instituendi, reddit fere ejusmodi actiones inanes, deinde potentia judicum, quæ regulariter ita comparata est, ut ad facum & peram redacti inquisiti innocentes, adversus eam ne hiscere quidem audeant, eos terret.

r) V. g. Intuitu denunciantium, quod delictum ex intentione Christiana & justo zelo adversus

vitia denunciaverint, intuitu judicum, quod bona fide & secundum arbitrium ipsis a processu inquisitorio indultum, inquisitionem formaverint, quod acta ad collegia prudentum transmissa, & secundum responsa ab his data eam continuerint &c.

s) Clarius id ostendent dicenda inferius, ubi de vera processus inquisitorii origine agemus.

t) Docet quidem sacra Scriptura su-



## §. XVI.

*Sed vel sola  
relatio dicto-  
rum S. Scri-  
pturæ con-  
trarium do-  
cent.*

Unde non opus habebimus, ut subtilibus distin-  
ctionibus, aut profundis meditationibus utamur in re-  
sponſionibus ad textus Bibliorum pro demonſtranda  
origine proceſſus inquisitorii allatos, ſed vel ſola recen-  
ſio eorum oſtendet argumentationis ineptitudinem &  
inſufficientiam, ſi modo ſeponamus autoritatem eo-  
rum, qui talia proferunt u).

## §. XVII.

*1. Genef.  
XVIII, 20, 21.*

Initio adducitur dictum Geneſeos 18. verſ. 20. &  
21. ubi Deus ad Abrahamum dicit, quod velit inquire-  
re; an fama de impietate civium Sodomæ & Gomorræ  
cum rei conveniat veritate. Sed ex inde nihil amplius  
probatur, quam, quod incumbat magiſtratu, ut inqui-  
rat in delicta publica & notoria, non, ut inſtituat proces-  
ſum inquisitorium w).

## §. XVIII.

*2. Exod. II, II.  
ſeq.*

Porro allegatur factum Moſis interficientis Aegy-  
pti-

ſupra naturalia, ſed non contra di-  
ctoria rectæ rationi. Mirandum  
tamen maxime, qui fiat, quod cras-  
ſiſſimi errores in Jurisprudencia  
Naturali haſtenus fere unice eti-  
am apud Proteſtantes ex ſcriptura  
ſacra fuerint deſenſi, & reſtaura-  
tores jurisprudentiæ Naturalis  
tanquam impii Doctores, & qui do-  
ceant ea, quæ ſacris literis repu-  
gnant fuerint per calumniam tra-  
ducti, ſed hæc omnia referenda  
ſunt ad reliquias Papatus. Nun-

quam enim Scriptura ſacra id di-  
cit, quod volunt diſſentientes, ſed  
autoritas veterum Eccleſiæ Do-  
ctorum in Papatu alienum ſen-  
ſum dictis Scripturæ imponentium  
hujus mali unica eſt cauſa.

u) Unde nec hic allegabimus  
autores, qui talia dicta proferre ſo-  
lent, ne autoritas eorum lectores  
incauſto terreat, aut ne videamur  
iis velle inſultare.

w) Repete dicta ad §. III. lit. g.

x) Hinc



ptium, quod refertur *Exodi II. v. 11. seqq.* impertinenter plane. Uti enim ex hoc facto Mosis, extraordinario plane, & ex speciali instinctu divino perpetrato nequam justificari poterit factum privati, ex intempestivo zelo Mosen imitari volentis, ita tum demum ad hoc dictum respondebimus, si exinde secundum regulas legitimæ disputationis fiat argumentum, cujus conclusio sit: Ergo a Mose introductus fuit inquisitorius processus.

## §. XIX.

Porro *Deuteron. XIII. v. 12. seqq.* Moses quidem præcipit populo Israëlítico, ut si audiverint, veros quosdam improbos in quapiam Hebræorum urbe palam seduxisse alios ad cultum idololatricum, nec tamen penas debitas tulisse, in eum rumorem diligenter inquirere, & si veritatem rumoris deprehenderint, vi bellicæ eam urbem totam devovere debeant, sed quis exinde velit inferre, quod Moses introduxerit processum inquisitorium.

## §. XX.

Eadem fere est ratio dicti huic affinis *Deut. XVII. v. 4.* ubi iterum Moses jubet idololatram post diligentem inquisitionem veritatis, lapidibus obrutum occidi debere, nisi quod in præcedente loco plane non sermo sit de processu judiciali, hic vero supponatur quidem processus judicialis, sed non inquisitorius x).

C 3

## §. XXI.

x) Hinc recte Julius Clarus (frustra propterea notatus a Carpovio *Pract. Crim. q. 103. n. 14.*) notavit, inquisitionem in crimina

(late sic dictam) vel ad querelam partis seu accusationem, vel officio (scilicet per inquisitionem strictè sic dictam) formari.

y) Nam



## §. XXI.

s. Josua VII.  
v. 19.

Sed ita tamen negare non poterimus, quod *Josua VII. 19. seq.* citra processum accusatorium processum inquisitorius adversus Hachanem a Josua fuerit institutus. Ita quidem est, sed uti, qui ad hunc locum provocant, ipsimet fatentur, processum hunc inquisitorium plane fuisse singularem, (& ita a processu inquisitorio, quem nos descripsimus, diversum y) per illum locum nil amplius probatur, etiam forte ex intentione eorum, qui ad eum provocant, quam quod rectæ rationi non repugnet, si ex officio magistratus, deficiente accusatore, quandoque inquirat in crimina, quod nemo negavit z).

## §. XXII.

s. Proverb.  
XX. s. XXIV.  
II.

Porro nobis non licuit esse tam beatos, ut cum differentibus, in Proverbis Salomonis *XX. s. & XXIV. v. II. a)* potuerimus invenire fundamenta ullius processus inquisitorii, tantum abest, ut illius, quem descripsimus. Ergo res tota relinquenda Lectori, qui lynceis forte oculis textus illos adspiciendo illud inventum ibi reperire possit.

## §. XXIII.

y) Nam 1. speciali jussu Dei instituebatur; 2. adhibita forte tantquam remedio investigandi supra naturali, 3. Hachan sponte crimen absque ulla tortura profitebatur.

z) *Vid supra. §. III. lit. l.*

a) In priori loco dicit Salomo: *Regem, in loco judicii sedentem, oculis mentis sue omnia mala dispellere.* In posteriore docet:

*succurrendum esse eis, quos alii per injustam violentiam interficere velint.* Prius dictum etiam quadrat ad accusatorium processum. Posterius forte plane non respicit ad processum sed ad violentiam extra judicalem, ita, ut sit locus parallelus cum *Psalm. 82. vers. 4.* Aut si respicit, habebis ejus explicationem in libro



§. XXIII.

Idem sentiendum de dicto *Rom. XIII. v. 7.* Uti enim <sup>7. Rom. XIII. v. 1.</sup> illud dictum a multis parum apte adductum fuit ad probandam assertionem, quod Deus sit causa immediata Majestatis, ita multo minus aptum est ad probandum, processum inquisitorium, etiamsi versiculos sequentes adjungas.

§. XXIV.

Denique nec parabola *Luca XVI. v. 1. seq. de Domino* <sup>8. Luca XVI. I. seq.</sup> inquirente in maleverfationem oeconomi sui ullo modo aliquid facere potest ad demonstrandam originem processus Inquisitorii aut ad ejus justificationem; etsi Pontifex b) id eum protulerit in finem. Solent enim Pontifices quilibet ex quolibet Scripturæ textu probare.

§. XXV.

Id tamen diffimulare nolumus, recte a dissentionibus notari eos, qui, ut probent, sine accusatione non licitam esse inquisitionem, provocant ad dictum Christi in Evangelio de muliere coram ipso de adulterio accusata: *Mulier, si nemo te accusat, nec ego te condemno, quasi ex jure divino pateat sine accusatione, ne quidem de jure divino reum alicujus delicti ad pœnam esse condemnandum.* Nam Christus in illo dicto neque ad processum accusatorium, neque ad inquisitorium respexit, sed innuere voluit, quod ipsius officium sit, salvare homines, non condemnare. c)

§. XXVI.

libro de Susanna, ubi Daniel observans hoc præceptum assistebat innocenti ream in processu accusatorio.

b) Uti & dictum Geneleos, de

quo §. XVII. vide infra §. LIII. ubi locus est descriptus.

c) Vid. Carpzovii Pr. Cr. q. 103. n. 26. & 37.

d) U.



## §. XXVI.

*Interim Res-  
publica Isra-  
elitica igno-  
ravit proces-  
sum inquisi-  
torium.*

Interim tamen negari etiam nequit, quod in Re-  
publica Israëlita soly processus accusatorius in crimina-  
liby) ordinarie fuerit receptus, atque characteres proces-  
sus inquisitorii ab initio indicari ibi plane exulaverint d).  
Unde facile judicari poterit, quod communis Rerum-  
publ. necessitas & utilitas non postulet, ut processus in-  
quisitorius introducatur in Rempublicam, aut processui  
accusatorio præferatur e).

## §. XXVII.

*Et solus accu-  
satorius ibi  
fuit receptus*

Initio accusatorium processum fuisse receptum in  
Republ. Israëlita a passim ex sacris literis t) constat, con-  
sentientibus hac in parte Rabbinis g), & qui de Republ.  
Ju-

d) Utramque assertionem pro-  
babunt sequentia.

e) Nam si postularet communis  
Rerumpubl. necessitas & utilitas in-  
quisitorii processy introductionem  
haut dubie Deus per Mosen etiam  
in sua Republ. eum introduxisset.  
Et quia Respubl. Israëlita a Deo  
ipso instituta, est omnium sapien-  
tissima ac perfectissima in hoc im-  
perfecto statu humani generis,  
nullum est dubium, quin Deus et-  
iam introduxisset processum in-  
quisitorium in Rempubl. Israëliti-  
cam, si saltem præstantior esset ac-  
cusatorio.

f) Videatur e. g. *Deuter. XIX.*  
*17. & XXV, 1.*

g) Sed hoc argumentum saltem  
confidero ut illustrans. Nam et-  
iam si Rabbini dissentirent, parum  
nostræ noceret sententiæ. Ho-  
rum enim commentis majorem fi-  
dem de rebus antiquis loquentibus  
non habemus, quam otiosis Mo-  
nachis apud Christianos, & eorum  
fabellis, quas finxerunt de iis, quæ  
primis post Christum natum se-  
culis gesta sunt, cum Clerico in  
*Dissert. de Synedr. 72. Viror. §.*  
*6.* Quod vero hac in quæstione  
consentiant Rabbini cum S. Scri-  
ptura, quoad assertionem hanc  
generalem, patebit ex illis, quæ  
magna industria collegit Seldenus  
*de Synedr. Veter. Hebræorum*  
*Lib.*



Judaica scripserunt h). solum vero processum accusatorium ordinarie fuisse receptum, constat exinde, quod dissen-

*Lib. II. cap. 13.* De cujus opere tamen prudenter judicavit idem Joh. Clericus *ibid.* § 7. optandum videlicet esse, ut à viro doctissimo non minor diligentia adhibita fuisset in dijudicando & secernendo vero à falso, quam in colligendo eo, quod pertinet ad Synedrium, ex scriptis Rabinorum; ita enim multo utilius fore ejus opus, interim tamen gratias ipsi agendas esse ob exantlatum laborem collectionis, quem ipse subire nollet.

h) Apud Cuzæum quidem ea de re nihil invenire potui. At Sigonius de Republ. Hebræor. *Lib. VI. c. 7.* habet sequentia: *Ordo rei apud judices peragenda ferme fuit hujusmodi: Qui nomen deferre alterius cupiebat, is ferme aut Regem, aut Pontificem, aut Principes adibat, reumque denunciabat. Quo facto illi ministros ad hominem capiendum mittebant, & si res tulisset, cohortem etiam à præfecto templi acceptam adiciebant, eumque ad se adductum ferme in carcere, atque in custodia militari habebant, donec de*

*illo judicaretur. Inde universo convocato concilio opera cognitioni dabatur. Intendebatur autem ab accusatore crimen & pena his verbis: Judicium mortis est viro huic, quia hoc aut illud fecit. Repellebatur autem à defensore his: Judicium mortis non est viro huic, quia illud non fecit, aut quia juste fecit. Ubi vero perorata utrinque causa erat, tum judicibus suffragia dabantur, atque ille pro numero sententiarum aut condemnabatur, aut absolvebatur. Ubi vero res ad Romanos redacta est &c.* Et si vero hæc verba ultima testentur, quod Sigonius hic loquatur de temporibus Reipubl. judaicae ante Romanorum Imperium, tamen etiam ex toto capite constat, quod non solum ad statum primævum Reipubl., de quo nos potissimum sumus solliciti, respiciat Sigonius, sed etiam plurima ibi afferat, quæ pertinent ad statum Reipubl. sub Regibus ubi tamen jam non parva alteratio status primævi erat facta.



dissentientes nusquam in sacris paginis possint docere processum inquisitorium i).

## §. XXVIII.

*Nec inquisi-  
tio instituta  
in delictis  
secularis,*

Deinde noluit etiam Divinum Numen inquiri, deficientibus accusatoribus, in delicta occulta k), ubi nulum corpus delicti adesset, quia ne quidem in homicidio, etsi delicto gravissimo, ubi etiam de corpore delicti constaret, processum inquisitorium instituere præcepit. l)

## §. XXIX.

*Neque omnia  
vitia apud  
Hebræos pu-  
nita,*

Neque etiam in omnia vitia sive occulta, sive non occulta inquiri, aut ea puniri iussit, in quæ postea autores processus inquisitorii, etsi sint occultissima inquiri voluerunt. Ita pro criminibus puniendis non fuere habita apud Hebræos bigamia, concubitus mariti cum soluta, stuprum virginis & viduæ honeste viventis, tan-  
tum

i) Ut patet ex dictis hactenus a §. 15.

k) Quo nomine alias processus inquisitorius commendari solet per dicta superius §. 9.

l) Deuter *XLI seq.* Cum in terra, qua possidenda Jebova Deus tuus te donat, invenietur confossus & jacens in agro, neque notum erit, quis eum occiderit, tunc exhibunt senes tui seu iudices &c. Sument vitulam &c. Deinde &c. ducent in &c. valem &c. atque illic vitula caput amputabunt &c. Omnes

*vero senes urbis illius, proximi confosso, manus suas abluent supra vitulam, cui in valle caput amputatum fuerit, & respondentes dicent: manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, neque oculi nostri cædem viderunt. Propitius esto; O Jebova, populo tuo Israheli, quem liberasti, neque cædem hominis innoxii imponas populo tuo Israheli. Sic expiabitur illis is sanguis &c. Illustrabit etiam hic locus ea, quæ superius ad §. 9. annotavimus, quod scilicet utilitas*  
Rei-



tum abest, ut processus inquisitorius in iis locum habuerit. m)

## §. XXX.

Porro ignoravit Respubl. Hebræorum carceres n) squalidos & torturam cum suis indiciis. Sed si reus non convinceretur de crimine per duos testes, abfolvebatur à pœna capitali o). Neque adeo tum temporis persuasus erat populus Israëliticus, ac si Magistratus Dei iram excitaret, si non torqueret reum, quem unicus testis nocentem esse dixerat, etiam aliis accedentibus indiciis.

*I. noti illis carceres squalidi, ut & torturas.*

## §. XXXI.

Denique et si Moses jussu divino nonnullis delictis pœnas capitales imposuerit, easque satis terribiles, non tamen erant illæ inhumanæ & crudeles, quales fecum tulit processus inquisitorius p). Nec rigor etiam

*Et pœnarum capitalium rigor accru delictis.*

D 2

tan-

Reipubl. non postulet, ut omnia delicta occulta puniantur.

m) *Exod. XXII. v. 16. Deuter. XXII. v. 28. Conf. Deut. XXI. v. 10. & XXII. v. 13. seq.* ubi quidem in priore loco permilsum erat Israëlitaë citra matrimonium concumbere cum captiva, in posteriore licebat quidem marito accusare sponfam defloratam, sed non inquirebatur in delictum citra accusationem. Confer dicta superius §. 10.

n) De carcere vide supra locum Car. Sigonii descriptum ad §. 27.

*lit. b. verbis: ferme in carcere.*

o) Idque sæpius repetitur in lege Divina Levit. XXXV. v. 30. Deut. XVII. v. 6. XIX. v. 15. Etiam in homicidio.

p) Hic initio notandum *exstirpationem delinquentis à populo suo*, cujus sæpe fit mentio in lege Mosaica, non denotare semper pœnam capitalem ab hominibus inferendam, sed sæpe innuere iudicia Dei occulta. Locus perspicuus est *Levit. XX v. 5. junct. versic. præced.* Confer *Genes. XVII. 14.* ubi iterum non potest *exstir-*



tantus in earum applicatione, qualem communiter per-

extirpatio intelligi de pœna capitali. Deinde pœnae capitales quatuor generum apud Israëlitas erant usitatae, nimirum pœna gladii, strangulationis, combustionis & lapidationis. Seldenus de J. N. & G. secundum disciplinam Hebræor. *Lib. VII. cap. 6. p. 854.* & fufius de Synedriis *Lib. II. c. 13. §. 4. seq. p. 890.* Sigonius de Republ. Hebr. *Lib. VI. cap. 8.*, qui loco suspendii crucifixionem recenset. Sed rectius subjungit, quod judæi crucifixionis pœnam à Pilato postulaverint, non legibus suis, sed Romanis. De gradibus harum pœnarum ita Seldenus *d. p. 890. Gravior habebatur lapidatio, quam combustio, atque hæc gladio, uti & hic strangulatione.* Sed hic circa tradita Rabbitorum cautela est adhibenda, cuius jam meminimus *ad §. XXVII. lit. g.* Unde dubium; an recte se habeant ista, quæ sequuntur apud Seldenum *p. 891. seq. Comburendus fimo immergebatur usque ad genua. Tunc linteum durius, molliori involutum, collo ejus circumdatum à testibus hinc inde traheretur usque dum os aperiret, in quod stan-*

*num aut plumbum liquefactum injiciebant, quo viscera comburerentur. Gladii pœna erat decollatio. Strangulandus fimo etiam immergebatur usque ad genua. Tunc linteo guttur ei constrictum, usque dum animam efflaret. Trabea suspendi-osi, saxa, quibus lapidandus interitur. Gladius, quo quis sic decollatus, & linteum jam dictum in strangulatione, videtur etiam illud in combustione adhibitum.* Id equidem non mirandum, quod strangulatio aut suspendium promittori pœna habita fuerit à Rabbinis quam gladius, (unde & dicere soliti sunt: quod Moses ipsos docuerit; omne mortis infligendæ genus in lege simpliciter seu generatim sine adjectione aliqua dictum, significare strangulationem) secus ac nos existimamus. Nam sapius in infligendis pœnis gravitas pœnæ existimatur ex opinione hominum, sepe variante aut falsis conceptibus subnixæ. Si rem ipsam spectes, nec strangulatio, nec decollatio delinquentem dolore corporis afficit, sed utrobique patiens in momento omni sentione privatur.



tur. Ita notum est, quod apud nos aliquem fame aut siti necare pro crudeli mortis genere habeatur. Contra Tacitus & alii scriptores historiae Augustae memorant, sub Tiberio, Nerone &c. multos sponte fame sese necasse. Sed de combustione dicta Rabbiorum non sunt verosimilia. De ipsa poena combustionis in lege Mosaiica unicum saltem deprehendi locum *Levit. XX. v. 14.* similiter Sigonius *d. c. 8.* hunc unicum locum allegat. Ad quem recte notat Clericus, descriptionem illam combustionis Rabbincam, vix posse combustionem vocari. Unde vehementer dubitat; an ejusmodi supplicium esset apud veteres Hebraeos. Ego insuper dubito, an strangulatio sit modus delinquentem adigendi, ut os aperiat, deinde si aperiat, an, ubi gula est obstricta per linteum, possit infundi plumbum liquefactum ad viscera comburenda pertingens. Sed quicquid tamen hujus sit, cum in *d. 7. Levitici* memoretur diserte poena combustionis, & verosimiliter autores processus inquisitorii poenam vivicomburii sub colore illius loci in Rempubl. Christianam introduxerint, valde obstat

sententiae nostrae, quod Deus nullam poenam crudelem in Republ. sua introduxerit, praecipuum combustionis. Imo non concipi potest, quomodo Rabbini dicere possint, combustionem lapidatione fuisse mitiorem. Et Clericus *ad d. cap. 20. Levit. vers. 2.* contrarium habet: *lapidationem post vivicomburium fuisse poenam gravissimam.* Lapidationis vero modum describit Seldenus *d. p. 891. Lapidabatur reus ad hunc modum. E suggestu binis hominis staturis alto a testibus pronus in saxum dejiciebatur, nudus praeter verenda, sed foemina non alibi nuda, quam in pectore quod in saxum illudendum. Si non ita moriretur, jactu lapidum populus circumstantans eum interficiebat.* Sed forsitan & haec referenda sunt ad fabulas Rabbincas. Scriptura de lapidatione loquens saltem mentionem facit de lapidibus in reum a populo conjectis, & in historia Josue, ubi Deus etiam jusserat combustionem, hoc praecipuum sic intellectum fuit, ut prius, anequam rei comburerentur, lapidatione necarentur. *Jos. VII. v. 15. it. 24. seq.* Unde non male colligit



persuadere voluerunt autores processus inquisitorii q).

## §. XXXII.

*Contra falsorum testimonii poenam gravissimam.*

Quin & sapientissime a divino Numine fuit provisum, ne temerarii accusatores impunes manerent quod iterum in processu inquisitorio non observari intuitu denunciatorum, jam notavimus r). Etsi enim de falsæ accusationis poena nihil legatur in lege Mosaica, sufficit tamen, quod falsi testimonii poena gravissima fanciatur Deut. XIX. v. 16. seq. At vero testes & accusatores in idem quasi apud Hebræos recidebant s), imo & denunciatores t).

## §. XXXIII.

Clericus *ad vers. 25.* eum morem Hebræorum fuisse, ut prius lapidibus interirent, qui erant comburendi. Adeoque & hoc dubium jam est expeditum.

q) Ita notum est, communiter hactenus doctum fuisse, poenam homicidii capitalem ita esse ex jure universali deductam, ut nulla remissio ejus locum habeat, qualiscunque demum homo fuerit interfectus, sed contrarium docet lex Mosaica disserte Exod. XXI. v. 17. seq. Intuitu homicidii voluntarii quidem, sed non insidiosè premeditati, item *vers. 20. seq.* ratione homicidii in servo vel ancilla commissi. Vide latius Dn. Præsid. *Diff. de jure aggratian-*

*di Principis Evangelici in causis homicidii cap. 4. §. 5.*

r) Supra §. 13.

s), Seldenus *d. cap. 13. §. 3. p. m.*

887.

t) Vide locum ex Sigonio supra descriptum §. 27. *lit. b.* Et quamvis id videatur parum convenire cum dictamine rectæ rationis, & moribus apud alias gentes receptis, ut denunciator & accusator testis sit, tamen illa inconvenientia est saltem apparens, & inde profluens, quod apud illos, ubi accusator & denunciator testis esse nequit, poena Mosaica testium falsorum non simul sit usu recepta, sed parum apte neglecta. Confer. Dn. Præsid. *Diff. de Fide Ju-*

*ri.*



## §. XXXIII.

Pergo ad Græcos, de quibus tamen pauca erunt dicenda, cum non meminerim quendam originem processus inquisitorii a Græcis derivasse. Sufficiat itaque quædam annotasse ex legibus Atheniensium Spartanorumque. Athenienses quod concernit, satis ex Luciano u), Demosthene w), ac Maximo Tyrio x) constat, quam alieni fuerint Athenienses a criteriis processus inquisitorii a nobis descripti.

*Inter Græcos Athenienses solum processum acculatorium approbarunt.*

## §. XXXIV.

*ridica Cap. 2. §. 10. 33. 36. 54. 57. seq.*

u) Lucianus *de non temere credendo calumnie* T. I. p. 818. ex versione Melanchthonis: *Ea est extrema injuria (clanculum insectari absentes) vel optimorum Llatorum judicio Solonis, & Draconis, qui jurejurando Senatam Atheniensem adstringere, ut pari benignitate gratiæque tam reum, quam actorem judex audiat, dum alterius causam honestiorem intelligat. Scelestum & crudele judicium esse, si quid statuatur antea, quam cum accusatione comparata sit defensio. Adhæc sibi male propitios Deos reddunt isti, qui cum accusanti aures libere indufferint, reo denegant, aut prestigi-*

*is capti delatorius mustitantes condemnant.*

w) Demosthenes *in Aristogitonem Orat. II. Quapropter & Solon tardas plebeis; Magistratibus, populi que gubernatoribus veloces constituit poenas; quod existimabat, de illis quovis tempore supplicium sumi posse; hos moram ultionis non permittere.*

x) Maximus Tyrius *Dissert. 39: Ac quid Deus quidem, ac quomodo colendus? Nec enim hæc curant mille illi iudices fæba lecti; neque Solon de his quicquam omnino statuit; nec Draconis venerandæ ille leges. Sed in jus vocare, accusare, deferre, rationem facti exposcere, calumnie juramentum exigere, aut præstare, & que*



## §. XXXIV.

*Item & La-  
cedæmonii.*

Lacedæmonios autem quod attinet, nec apud hos quicquam reperire licet, quod faveat processui inquisitorio, quin potius iudice Nicolao Cragio, multa ab his mutuari possent Christiani ad emendationem causarum criminalium y).

## §. XXXV.

quæcumque istiusmodi, hæc sunt illa, quæ in Helica aguntur.

y) Cragius de Republica Lacedæmonior. Lib. IV. cap. 8. p. 436. In iudiciis capitalibus hoc peculiare, ut causa semper in dies complures ampliaretur & proferretur, nec statim iudicium absolveretur. Deinde ut in reatu nihilominus qui accusatus erat, maneret, etsi accusator minus probaverat, quod intenderat. Utriusque ratio redditur, quod Lacedæmonii, ab iis, quæ semel deereverant, non recederent. Idem Cragius Cap. 10. Lacedæmoniis, quamvis in poenis præ aliis severiores & rigidiores essent, non alia exquisita poenarum genera recepta esse, ait, quam quæ passim in usu, videlicet hæc sex: damnium, vincula, verbera, ignominiam, exilium & mortem. Mortis vero genus hoc unicum fuisse u-

firatum observat idem p. 456. videlicet strangulationem, quæ collo in laqueum inserto anima damnati elidebatur. Denique in fine p. 458. concludit: Lacedæmoniorum exemplo discere possent haud dubie multa Christiani magistratus, quibus legum quarundam iniquitatem & suppliciorum atrocitatem emendare liceret. Sed in hac iudiciorum corruptela & suppliciorum duritate, quæ noxii & imoxii passim in omnibus Rebus publ. affliguntur, vix fortæan emendatio sperari poterit. Fortetamen tanta non in omnibus fuit æquitas Legum Spartanorum, ut Christianis exempli loco proponantur, quod fufius deduxit Dn. Præses in lectionibus privatis de prudentia Legislatoria. Plura de processu criminali apud Græcos collegit Joh. Philippus Pfeiffer Lib. II. Antiquitat. Græcarum cap. 24. sequentibus, sed quæ



§. XXXV.

Restant Romani. Ubi mirari liceret, qui factum *Romani sal-*  
 fuerit, ut communi errore ab his derivari soleat origo *tem habue-*  
 processus inquisitorii, cum tamen & Pandectæ & Con- *runt proces-*  
 stituciones Imperatoriæ nil nisi processum accusatorium *sus accusa-*  
 z) recenseant, & poenas calumniantium accusatorum a) *torium*  
 indicent, & torturam olim non nisi rarissime, & intuitu  
 processus inquisitorii, recentioribus etiam temporibus,  
 non ita promiscue usurpata esse testentur b), & car-  
 ceres nolint inter poenas referri c) &c.

§. XXXVI.

que cum iudicio sunt distin-  
 guenda.

z) t. ff. & C. de Accusatio-  
 nibus & Inquisitionibus.

a) Eodem tit. & t. ff. de pre-  
 varicat. it. ff. & C. de Calumni-  
 ator & ad Scrum Turpilianum.

b) t. ff. & C. de questionib.  
 Videatur omnino de origine &  
 progressu torture apud Romanos  
 Schilter *Exercit.* 49. §. 11. &  
*seq.*, quem exscribere nolumus.  
 Ulpianus recte *L. I. §. 23. de*  
*Questio:* Etenim res est fragi-  
 lis (questio) & periculosa, &  
 que veritatem fallat. Nam  
 que plerique patientia sive du-  
 ritia tormentorum, ita tormen-  
 ta contemunt, ut exprimi eis  
 veritas nullo modo possit; alii  
 tanta sunt impatientia, ut in  
 quovis mentiri, quam pati tor-

menta velint; ita fit, ut etiam  
 vario modo fateantur, ut non  
 tantum se, verum etiam alios  
 comminentur.

c) Idem Ulpianus *L. 3. §. 9. de*  
*Poenis:* Carcer ad continendos  
 homines non ad puniendos habe-  
 ri debet. Interim non diffiten-  
 dum est, sub statu Imperatorio  
 quædam præludia quasi aut con-  
 comitantia processus inquisitorii  
 paulatim irrepsisse, utpote squalo-  
 rem carcerum, poenas carcerum  
*L. 1. & 2. C. de Custodia reor.* tor-  
 menta carcerum *l. 7. pr. ff. depos.*  
*L. 15. §. 41. de Injur.*, tormenta-  
 rum extensionem ad liberos ho-  
 mines, sub prætextu vanæ ratio-  
 nis, & perpetrationem criminalis,  
 quod tamen per torturam inqui-  
 rendum erat, ut certam supponen-  
 tis. *L. 3. C. de Quest. Conf.*  
 E Schil-



§. XXXVII.

Claræ de  
re- refimus  
me.

Ino adhuc magis mirandum, unde audacia illa provenerit, cum tot testimonia diferta scriptorum aliorumque virorum Romanorum adsint perspicue testantia, sine accusatione & omnibus ad processum accusatorium pertinentibus, non licuisse apud Romanos reos criminum condemnare, neque solum in statu Reipubl. liberæ, sed & sub Imperatoribus d).

XXXVIII

Schilter *Exer.* 49. §. 163. poenas capitales etiam crudeliores, cum initio Reipubl. Romanæ ultra aquæ & ignis interdictionem non procederetur, ut vel tyronibus ex Institutionibus notum est. Interim tamen ipse processus inquisitorius fuit res adhuc Juri Justiniano incognita.

d) Cicero pro Roscio Amerino. *Quare facile omnes patimur, esse quamplurimos accusatores, quod innocens se accusatus sit, absolvi potest, nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest.* Festus *Act.* XXV. v. 16. *Non est consuetudo Romanis, dare aliquem hominem ad perditionem, priusquam accusatus ad conspectum habeat accusatores, locumque defensionis accipiat de criminatione.* Tertullianus in libro ad Scapulam; Pudens missum

ad se *Christianum cum elogio, concussione ejus intellecta dimissis, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundum mandatum.* D. Marcus apud Gallicanum: *Non possumus reum facere, quem nullus accusat.* Ambrosius Lib. VIII. *Epist. ad Syagrium: Si Leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt.* Denique ipsi Imperatores Honorius & Theodosius *ult. C. de accusat: Accusationis ordinem iam dudum Legibus institutum servari iubemus, ut, quicumque in discrimen capitis accessit, non statim reus, qui accusari potuit, existimetur: ne subjectam innocentiam feriamus.* Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripit,



## §. XXXVIII.

Sed mirari desine. Quæ apud nos in usu sunt pro sanctis & sapientibus habemus, ac eadem, vel talia apud omnes populos & gentes in usu fuisse, primo nobis, deinde aliis persuademus, & ut finem nostrum obtineamus, quæcunque saltem umbra verosimilitudinis in aliorum scriptis appareat, quæ huc trahi possit, eam arripimus, & si sponte sequi nolit, torquemus. Hic nævus communis humani generis etiam Jctos celeberrimos ita occaecavit, aut potius plusquam lyncæos effecit, ut in textibus juris Romani processum inquisitorium viderent, qui tamen ibi nusquam apparet e).

Fons communis  
vis persuasivæ  
sionis contraria.

## §. XXXIX.

Prodeat initio Pomponius. Hic inter alia memorat: f) *Cornelium Syllam quæstiones publicas constituisse veluti de falso, de parricidio, de Sicariis.* Vides hic, a-

Respondetur  
I. ad L. 2.  
§. 32. ff. de  
O. J.

## E. 2

junt,

piat, custodia similitudinem &c. patitur, nec impunitatem fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam pascat similitudo supplicii &c.

e) Simili modo excusandi sunt B. Patres Ecclesiæ, quando ex eadem imbecillitate humana sæpissime torserunt dicta S. Scripturæ ad mores & doctrinas receptas suorum temporum. Excusandi sunt inquam, non sequendi. Nos vero in quæstione præsentè eadem facilitate ostendemus imbecillitatem textuum Juris Civis pro pro-

cessu inquisitorio adductorum, quæ idem monstravimus supra in textibus sacrarum literarum; ita, ut non opus habeamus, ut cum aliis distinguamus inter inquisitionem generalem & specialem, aut inter remedia ordinaria & extraordinaria: Sed una saltem responsio generalis nostra. Umbra saltem, & sæpe ne umbra quidem processus inquisitorii apparet in Legibus Romanis, in quibus processum inquisitorium quæsi-  
sivere Doctores.

f) L. 2. §. 32. de O. J.

8)



junt, jam tempore Cornelii Syllæ, adhuc in libera Rep. quamvis ad occasum vergente, in his criminibus instituta sunt *quæstiones publicæ*, ergo ibi locum habuit processus inquisitorius. Quis negaret? Addere potuissent etiam titulum Digestorum de Quæstionibus, aut etiam titulum de interrogationibus in jure faciendis. Fit & ibi mentio quæstionum & interrogationum. Ergo cur non & ibi lateret inquisitorius processus g).

§. XL.

2. ad L. 13.  
de Offic. Præs.  
sidi.

Similiter Ulpianus h) dicit: *Congruere bono & gravi Præsidi curare, ut pacata atque quietæ provincia sit, eumque id non difficile obtenturum, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat: nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresque eorum coercere.* Atqui hic dicunt, plus est, quam simplex quæstio, est *conquisitio* delinquentium. Bene. Sed *conquisitio* non est *inquisitio* i), non magis ac *conductio* inductio, aut *conscriptio* inscriptio.

§. XLI.

g) Sensus apud Pomponium est: Olim non licebat ulli magistratui in civem Romanum sine specialis jussu populi Romani animadvertere. Denec Anno U.C. 604. Prætores ordinarii creati sunt, qui de repetundis, peculatu, majestatis, & de ambitu ordinariè judicarent. His adjecit Sylla quæstiones de falso, parricidio, ficiariis. Unde & magistratus i-

psiquæstorum v. g. de parricidio nomen accipiebant. Quæstores, a querendo, qui *conquirerent* publicas pecunias & maleficia. Vinicius & Coccejus *ad istum Pomponii locum.* Fenestella *de Magistrat. Romanis cap. 3.* Pomponius Lætus *de Magistrat. Rom. cap. 17.*

h) L. 13 pr. de Offic. Præsidi.  
i) *Conquirere* zusammennehmen

amf. Neuvort  
compendium  
antiquitatis rom.  
p. 205 Leyß



Imo vero, urgebunt dissentientes, ista distinctio tua inter quaestionem, inquisitionem, & inquisitionem grammatica est, sed si ad quaestionem praesentem applicetur ineptissima. Etenim dum SCtum jubet publicam quaestionem de familia necatorum habendam esse, Ulpianus explicat, quid per quaestionem hic intelligatur: quaestionem autem, ait, k) sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem & defensionem mortis. Habes ergo hic diferte inquisitionem, ut ne hiscere quidem contra possis. Quid jam dicemus? Adjuvabimus dissentientes, & processum inquisitorium etiam deducemus ex inquisitione, secundum quam tutores dabantur a magistratibus, quibus potestas dandi tutores competebat l).

3. ad L. 1. §. 25. de SCto Siliano.

## §. XLII.

Attamen in Irenarchis faltem invenerunt Dd. processum inquisitorium m), de quibus alibi Ulpianus pluribus

4. ad l. 6. de Custod. & exhibit. reor.

E 3

chen / aussuchen. Inquirere untersuchen, indagare, scrutari, investigare. Videantur Lexicographi. Hic textus est palladium dissentientium, quo ablato reliqua sua sponte corruunt. Vides quam lubrico saepe fundamento nitantur doctrina eruditorum. Sentiens ista Feltmannus in Comment. ad d.l. §. 4. conquirere & hic to inquirere sub se comprehendere ait, adeoque vernaculem aussuchen, quam untersuchen denotare; sed majori fiducia &

pudore assertionem hanc etiam negamus.

k) L. 1. §. 25. de SCto Siliano.

l) Scilicet si ineptia serio proponantur, oleum & operam perdit, qui serio respondere velit. Interim seriam responsionem repete ex supra dictis §. III. lit. q. item §. XVII. & maxime §. XX. lit. x.

m) Vide Anton. Matthaum de Criminibus ad Lib. 48. tit. 20. cap. 1. n. 3. & 4. Huberum in

Pre-



ribus agit. Res mira, cum diserte Ulpianus dicat, *non esse eorum epistolis credendum.* Item: *Irenarchas interrogaciones suas ad cognitionem magistratus mittere debere, & eos, qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendos esse, & quasi re integra, si quis erit, qui eos arguat.* Igitur potius Ulpianus pro nostra sententia est allegandus o).

## §. XLIII.

Ergo misso Ulpiano succurrat dissentientibus æmulus Ulpiani Paulus Ictus. Videamus. Ait hic p) *Nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis assistere tenentur.* Sed nec hic textus proderit dissentientibus. *Nunciatores enim sunt ipsi irenarchæ, vel quid simile q).* Notoriæ vero, sunt elogia irenarcharum r). Et dum Irenarchæ elogiis hisce assistere jubentur, potius inde probatur processus accusatorius, quam inquisitorius s).

## §. XLIV.

*Prelectionibus ad ff. tit. de Cust. & exhibit. reor. n. 3. & 4.,* quamvis nec ipsi inter se conveniant.

n) Ulpianus L. 6. de Custod. & Exhib. reor.

o) Adde Dionys. Gothofredum, in not. ad d. L. 3.

p.) L. 6. §. 3. ad Scrum Turpilium.

q.) Dion. Gothofr. ibid.

r.) Augustinus Epist. 160: *Circumcelliones & clericos quosdam Donatistas, cura eo-*

*rum, qui discipline publice inserviunt, præmissa notoria ad judicia legesque perduxit.* Et in Epist. 159: *Qui non accusantibus nostris, sed illorum notoria, ad quos tuende pacis vigilantia pertinebat, presentari videantur examini.*

s) Repete dicta §. preced. & locum Tertulliani supra §. 37. *lit. d.* descriptum. Unde frustra & absque ratione addita dissentit Schilterus Exer. 49, §. 154.

f. ad L. 6.  
§ 3. ad Scrum  
Turpilium.



## §. XLIV.

Jam ad Constitutiones Principum progrediamur. Urgent dissentientes, Imperatorem Gordianum rescipisse t): *Ea quidem, quæ per officium Præsidibus denunciantur, & citra solennia accusationum posse perpendi incognitum non est.* Vides hic, inquit, in talibus non locum habet processus accusatorius, ergo inquisitorius. Sed incivile est, nisi tota lege perspecta, velle judicare. Sequitur enim statim: *Verum si falsis, necne notoriis insinulatus sit, perpenso judicio dispici debet.* Quæ verba satis innuunt, in prioribus verbis non agi de puniendis delinquentibus, sed de alio negotio, quodcumque id demum fuerit w).

6. ad l. 7. C.  
de accusatio-  
nibus.

## §. XLV.

Sed forte statim sub Imperatoribus Christianis incipit inquisitorius processus. Jubet enim imperator Constantinus x) *in quacunque causa reo exhibitio, sive accusator existat, sive eum publicæ sollicitudinis cura perduxerit, statim debere questionem fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur.* Sane hic satis aperte processus accusatorius & inquisitorius distinguuntur, & jubentur iudices, etiam si accusator non existat, reum vel condemnare, vel absolvere, quod satis arguit, factum id esse processu inquisitorio. Sed expecta paulisper. Quid est, quod Constantinus statim subjungat: *Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum presentia necessaria videatur*

7. ad l. 1. C.  
de Custod.  
reorum.

t) L. 7. C. de Accusation.

u) Conf. Huberum citat. ad §. 42. lit. m.

w) Adde L. 8. & 14. C. Eod.

& Dionys. Gothofred ad illos tres textus.

x) L. 1. C. de Custod. reor.



*rur, id quidem debet quam celerrime procurari. Vides nihil aliud vult Constantinus in tota lege, quam ut processus accusatorius quam proxime debeat expediri, & rei in squalidis carceribus non diu detineri y).*

## §. XLVI.

*§. ad Nov.  
128. cap. 21.*

Tandem ad Justinianum ipsum provocant Doctores, sed absque effectu. Nil enim amplius jubet Justinianus, quam ut Magistratus ipsi latrones & raptores *requirere* ac legitimis suppliciis punire, nec hoc officium sub gravi poena aliis inferioribus demandare debeant z). Nihil hic de processu inquisitorio a).

## §. XLVII.

*Examinatur  
sententia  
Clariss. Bas-  
nagii pri-  
mam origi-  
nem in-  
quisitionis Ju-  
stiniano ex  
Procopio ad-  
scribentis.*

Sed ut sentiant dissentientes, bona fide nos agere, videamus, annon ex Historicorum testimoniis processum inquisitorium possimus a Justiniani institutis aliis derivare, etiamsi illa non sint in Corpus Juris relata. Succurrit ipsis vir de Historia Ecclesiastica optime meritus Jacobus Basnagius, expressis verbis primam originem inquisitionis Justiniano adscribens b). Sed ut

y) Ergo sensus verborum antecedentium ex sequentibus ita est exponendus: Celerrimo debet expediri processus accusatorius, sive *accusator existat* seu *stantim praesens sit*, sive absente accusatore reus exhibeatur ab irenarthis cum elogio. Interim quam celerrime debere accusatorem absentem evocari, ut accusationem instituat. Adde Jacob. Gotho-

fredum *ad L. 1. Cod. Theodos. h. t. lib. IX. tit. 3.* & supra dicta §. 42.

z) *Nov. 128. c. jubemus 21.*

a) Sive per *re* *requirere* intelligas *conquirere*, sive *inquirere*. Repete dicta §. 40. & 41.

b) *Histoire de l'Eglise Liv. XXIV. chap. 9. page 1429.* L'Empereur Justinien, dont l'avarice etoit extreme, etablit une charge



faceam, eam relationem nisi sola autoritate historiae secretæ Procopii, scriptoris valde suspecti, c) ne quidem ea, quæ inde allegat vir clarissimus, in Procopio extant d)

## §. XLVIII.

Ergo unde tandem inquisitorius processus ortum ducit? Unde omnia ratione destituta, quæ sub specie

linguæ

*Origo processus inquisitorii ex jure Canonico.*

d' inquisiteur dans son Empire, le quel pouvoit juger toutes sortes, des personnes, qui estoient accusés; mais principalement celles, qui commettoient les crimes contre nature, ou qui n'avoient pas, des sentimens orthodoxes. Ce, juge condamnoit les accusés, sans, être obligé de produire ni les témoins, ni les accusateurs, tellemēt, qu' ils estoient souvent condamnés, sans avoir été convaincus, ils perdoient une partie de leurs biens, lesquels demeuroient confisqués a l'Empereur, & quelque fois ils estoient punis de mort. Mais comme l'avarice avoit engendré ce tribunal plutot, que la cruauté, ce supplice estoit fort rare. Voila la premiere origine de l'inquisition, qu' on n'avoit pas remarqué &c.

c) Dico suspecti, non testes falsi. Et si de falso testimonio ipsum accusent, & quæcumque de Justiniani vitis afferuit, simpliciter

rejiciant Eichelius aliique defensores Justiniani. Res ipsa huc non pertinet. Vide interim Dn. Præsidem in *Dissert. de Fide juridica cap. 2. §. 37 seq.* Ejusdemque *Cautelas circa præcognita jurisprudentiæ cap. 5. §. 68.* Bene Ulpianus *L. 1. §. 24. & 25. de questionibus: Præterea inimicorum questionibus fides haberi non debet, quia facile mentiuntur. Nec tamen sub prætextu inimiciarum detrahenda erit fides questionis. Causaque cognita habenda fides, aut non habenda.* Et si enim de fide juridica loquatur Jctus, multo magis tamen valebit ea observatio in fide historica.

d) Ita enim Procopius pag. 89 edit Alemann: *Duos alios magistratus invexit. Horum alterum prætorem plebis vocavit, qui furtis ulciscendis præesset, alterum quaestorem, cui cognoscendum foret de puerorum*

F

rum



singularis pietatis aut iustitiæ in crassissimis superstitionis tenebris orbem Christianum invaserunt, & ibidem altas egerunt radices, ut nec hodiernum post aliquot secula a temporibus Reformationis, omnium eorum irrationabilitas a Protestantibus agnoscat. Scilicet a Pontificibus Romanis & Jure Canonico e)

## §. XLIX.

*Non subita-  
nea tamen.  
Olim sine  
accusatore  
aliquem con-  
demnare  
fuit pro illi-  
cito habitum.*

Non tamen credendum, quasi subito processus hic inquisitorius Christianum invaserit orbem. Uti vitia singulari homines pedetentim & gradatim inficiunt, ita & astuta consilia Papparum pedetentim sunt progressa. Olim non erat sic, sed & secundum ipsam doctrinam ju-  
ris

*rum concubinato, de præpos-  
teris mulierum stupris, deque su-  
perstitiosa & falsa religione  
&c. Quæstor dicta in reos  
capitis sententia quæcunque  
collibissent asserebat. Cesari,  
atque ipse nullo jure alienis opi-  
bus nihilominus ditescerebat.  
Namque hujus magistratus ex-  
actores principio neque accu-  
sationem petivere, neque testes  
induxere delictorum; sed hoc  
toto tempore incognita indem-  
nataque causa rei capite & bo-  
norum proscriptione clam puni-  
ti sunt. Vides, non hoc dicere  
Procopium, quod Justinianus in-  
stituerit quæstorem, data ei pote-  
state, ut absque accusatoribus &*

testibus damnaret reos, sed potius, quæstorem illum, ab usum sua potestate, per exactores suos talia perpetrasse (contra dispositionem Novellæ modo allegatæ 128. cap. 21.) connivente quamvis Justiniano. Sed forte decepit virum clarissimum titulus Quæstoris huic magistratui datus, quasi sic instituta esset inquisitio & processus inquisitorius a Justiniano. Confer dicta superius ad §. 39. lit. g.

e) Jam suo tempore Robertus Maranta circa annum 1520. florens in spec. Aur. Part. 6. n. 48. & 206. agnovit, processum inquisitorium juri Canonico suam debere originem. Et tamen Protestantes etiam Icti tanti amant com-



ris Canonici turpe habebatur & illicitum, sine accusato realiquem condemnare f).

§. L.

Sed mutata postea sunt tempora, & his mutatis facile fuit Pontificibus mutare etiam regulas iusti. Adorabat populus & venerabatur omnes eorum torturas textuum S. Scripturæ ad sententiam, quæcunque ipsis placeret. Eadem igitur facilitate, qua Scripturam antecessores torserant ad rejiciendum processum inquisitorium g) successores obrorto collo traxerunt alia dicta sacrarum literarum ad eum introducendum h).

*Occasionem dedit ineptæ tortura textuum scripturæ.*

§. LI.

Inceptum etiam fuit corrigere LL. Civiles circa processum accusatorum, & inimicos repellere ab accusatione i), item Laicos ab accusatione Clericorum sub

*Correctio processus accusatorum.*

præ-

communem errorem, ut Marante doctrinam indignabunde ferant, tanquam erroneam.

f) *Can. Nihil. 4. C. 2. q. 1. Nihil contra quemlibet accusatum absque legitimo & idoneo accusatore fiat. Nam & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus ideo non est ejus. Item can. de manifestis 17. ibidem: Judicis non est sine accusatore damnare, quia & Dominus Judam cum fur esset, sciebat, sed quia non est accusatus, minime abjecit. Et ibid in part. 3. Dum accusatoris*

*persona assumitur, judiciaria potestas amittitur. In una enim eademque causa nullus potest esse simul accusator & judex.*

g) *Ut factum Christi intuitu Judæ; ut modo notatum. Ita dictum Christi Job. 8. de adultera glossatores, ut Salycetus ad L. 7. C. de Accusation. n. 33. torquent (vid supra §. 25.) ad impugnandum processum inquisitorium.*

h) *Ut Innocentius III. dicta Genesios, & Lucæ. Vide infra §. 53. lit. o. & supra §. 17. & 24.*

i) *Cap. 7. 13. 19. X. de Accusar.*

F 2

Gon-



prætextu, quasi Laici sint Clericorum inimici k). Unde obrepente facultate corrigendi & emendandi leges Politicas de accusatorio processu disponentes, facile fuit, ulterius progredi.

## §. LII.

*Inventio de-  
nunciatio  
Evangelica.*

Porro & denunciatio jam erat introducta differens maxime ab accusatione, quod accusator deberet inscribere nomen & poenam calumniæ pati, denunciatores calumniæ poenam non metuerent, sed facile excusarentur prætextu fraternæ charitatis l). Et hæc ipsa adeo denunciatio paravit viam processui inquisitorio m).

## §. LIII.

Gonzalez Tellez *ad cap. 10. de Accusat. n. 5. & 6.*

k) *Cap. 1. 2. 3. & 4. C. n. 9. 7.* De inimicitia laicorum in clericos est *cap. 5. & 14. ibid.* Atque hoc quidem primo intuitu non videbatur esse iniquum, cum & clerici non deberent accusare laicos. *can. 6. ibid.* sed tamen magna latebat fraus, cum clerici tamen possent denunciare & judicare laicos, non vero laici clericos.

l) *Cap. 10. X. de Accusat. & ibi Gonzalez Tellez n. 7.*

m) Quis enim accusare vellet, si liceat denunciare. Dicit quidem Pontifex *inc. Licet Heli 31. X. de Simonia*, quod *tribus* modis erga delinquentes procedi possit, videlicet per *Accusationem*,

*Denunciationem & Inquisitionem*, & sudant Canonistæ, ut diversitatem inter denunciationem & inquisitionem ostendant, sed distinctionibus suis inter denunciationis varias species, puta Evangelicam, judicalem, Canonicam, regularem (vide *Engelium in Colleg. jur. Canon. ad tit. de Accusat. n. 28. seq.* Casp. Zieglerum ad *Lancellot. Lib. 4. tit. 1. §. 1.* verbis: *Per denunciationem*) rem magis implicant, quam explicant, & verius est, denunciationem olim fuisse præcursorem processus inquisitorii, eo vero introducto, ejus preparationem. *Conf. Ziegler d. l.* Ipsa denunciatio sic dicta Evangelica, quantaquanta est, est abusus dictorum scripturæ sacræ, ut vel ex



## §. LIII.

Neque statim publice sancita fuit inquisitio, seu processus inquisitorius. Sed prius hinc inde, vel ab ipso Pontifice, vel eius speciali jussu, aut permisso ab aliis tentatus n). Unde opus habuit Pontifex, justitiam hujus processus inconfueri aduersus objectiones ipsi factas o), quamvis parum rationabiliter p) solvere & ordinem inquisitorii processus justificare q).

*Objectiones  
contra Pro-  
cessum inquisi-  
torium à  
Pontifice mi-  
serè resolu-  
tio*

## §. LIV.

ex attenta perlectione c. 13. X. de iudiciis, ubi est ejus sedes primaria, videre licet. Ut dolendum sit, JCtos etiam Protestantes nequitiam Papalem hic latentem, & Reges bonis suis spoliare intendentes, non sensisse, sed remedium hoc tanquam pium & probum, etiam Augustanæ Confessioni ad dictis commendasse. Vide B. Gothofredum de Jena de Scto Macedon. Sect. 4. p. 274. seq. B. Brunneman. Jur. Eccles. Lib. III. c. 2. & alios passim. Unde valde commendari meretur tractatus Christiani Friderici Jani de Denunciatione Evangelica impressus Wirtebergæ 1673. ubi nequitiam sub introductione denunciationis Evangelicæ latentem fusius declarat.

n) Vide cap. 16. & plura sequentia X. de Accusat. c. 31. de

simonia, cap. un. X. Ut ecclesiast. benef. sine diminutio ne conferantur. &c. Potissimum illud cap. un. vide plenius in Epistolis Innocentii III. Lib. I. Epist. 268.

o) Dicitur cap. un. verbis: Propones, quod cum nullus debeat sine accusatione damnari, nec aliquid circa negotium illud sit factum in forma iudicij &c. Item: cum enim juris sit explorati, quod actore non probante, is, qui convenitur, etiam si nihil presterit, debeat absolvi &c.

p) Etenim nihil respondet ad objectionem, sed pro more ineptorum disputantium saltem contradicit, aut negat conclusionem ibid. verbis: porro cum donatio &c. Similiter inepta est responsio Pontificis ad objectionem, quod nemo possit simul esse accusator &



## §. LIV.

*Radices in-  
quisitorii  
processus ini-  
tio Seculi  
XIII.*

Nullum vero est dubium, quin primas radices processus inquisitorii egerit initio seculi XIII. sub Innocentio III. Papa r). Nam pleræque, si non omnes Constitutiones Papales, quæ de processu inquisitorio primum loquuntur, sunt hujus Innocentii s).

## §. XV.

judex [vide §. 49. lit. f.) dum torquet pro neganda conclusione dicta Lucæ, & Geneleos cap. 17. & 24. x. de accusat. & cap. 31. de simonia & postea ineptissime subjungit, *non tanquam sit idem accusator & judex, sed quasi fama deferente vel denunciante clamore sui officii debitum exequatur.* Et omnino apparet, quam curta Pontifici fuerit supplex in defendendo suo processu inquisitorio, quod eadem sit hyra, & eadem prope adhibeantur verba in istis tribus capitulis modo allegatis, quamvis ad diversos & diversis temporibus datis.

q] *D. cap. unic. verbis: quia vero hæc allegatio per sonam nostram tangere videbatur, dignum duximus, causam commissæ inquisitionis & ordinem plenius explicare, ne quis quodammodo suspicetur, quod nos in*

*hoc negotio perperam processerimus, præsertim cum ratio assignanda debeat esse posteris profutura.*

r] Qualis & quantus Papa fuerit Innocentius III. videri potest ex gestis ejus ab Anonymo conscriptis, & operi vasto Epistolarum Innocentii, a Stephano Baluzio Parisiensi superiore seculo edito, præmissis, ut & ex ipso Epistolarum opere. Scilicet a Pontificiis ut magnus heros prædicatur. Lector imparialis videbit, fuisse hominem non extraordinaria eruditionis nec prudentiæ, forte tamen etiam nec malitiæ, stultitiæ & superfertitione communi non imprudenter utentem ad augendum imperium Ecclesiasticum, & supprimendam auctoritatem Magistratus Politici. Sedi profuit ab anno 1198. usque ad annum 1216.

s)Sci-



## S. LV.

Porro quemadmodum hætenus dicta t) fati do-  
cuerunt simul, inventione hac processus inquisitorii in-  
tendisse Pontifices, ut sub specie justitiæ imperium in  
Laicos, variis artibus diu quæsitum, confirmaretur u);  
ita tyrannidem per processum inquisitorium quæsitam  
ulterius ad oculum monstrat, quod vel statim comitata  
eundem vel mox secuta fuerit inquisitio in hæreticam  
w) pravitatem, per hanc vero, confusiones & turbæ uni-  
versales, ac injustitiæ horrendæ sub specie pietatis to-  
rum Christianum orbem inundaverint x).

*Fructus ejus  
officium sc.  
inquisitionis  
in hæreticos.*

s) Scilicet *cap. 13. de judiciis, cap. un. Ut eccles. bon. sine dim. conferantur, c. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 24. X de accusat. Cap. 31. de Simonia & c.*

t) *A. §. 48. hucusque.*

u) Quod nos probaturos esse supra §. 2. in fine promissimus.

w) De occulta malitia & origine Inquisitionis in hæreticos succincte agit Paulus Sarpus in Historia de Origine, forma, legibus & usu officii inquisitionis in civitate & Dominio Veneto, quæ extat in volum. 3. Oper. ab init. p. 26. seq. Adversus Paulum Sarpium editus quidem fuit ab anonymo sine die & consule libellus: sub titulo: *Risposta all' Historia della sacra inquisitione, composta già dal R. P. Paolo Serrito.* Sed quæ hic Autor de ori-

gine inquisitionis habet p. 10. seq. non contradicunt Paulo Sarpio, neque, eum ut intendit Autor, erroris arguunt. Sed potius ejus breviter dicta fustius illustrent & declarant. Res eo redit, ipsum Innocentium III. primum etiam autorem esse officii sacre inquisitionis, & Dominicum primum inquisitorem ab eo adversus Albigen- ses in Gallia partibus Tholosanis fuisse constitutum, quod postea fustius monstravit Philippus a Limborg in *Histor. inquisit. Lib. I. cap. 10. seq.* Jacob Basnagius *Histor. Eccles. Lib. 24. cap. 9. seqq.*

x) Vide Paulum Sarpium, Limborgium, Basnagium *d. d. II.* Edita etiam est anno 1681. nescio ubi, (nam præscriptum Colonia nomen est valde suspectum) satyra elegans sub titulo: *L' in-*



## §. LVI.

*Conclusio.* **H**abesita veram processus inquisitorii originem in genere. Originem specialem & progressum ejusdem in Germania, ut & usum ejusdem ac abusum hodiernum, & an propter abusus frequentes idem plane tolli y) & processus aucusatoriusz) iterum introduci debeat, exponere meum institutum non patitur, sed id negotium aliis discutiendum reliquo.

*quisizione processata, opera storica e curiosa divisa in due Tomi,* ubi confusiones istae per inquisitionem introductae in omnia regna & provincias Europaeas ingeniosissime descriptae leguntur.

y) Ita quidem communiter doceri solet, cognito rei abusu eoque nimio, usum una cum abusu esse tollendum per leges publicas. Ego vero aliter sentio. Errat Medicus, qui cognito morbo eundem vult tollere per remedia violenta contraria, saepe mortem loco sanitatis speratae accelerantia. Ita Icti & Politici errant, qui cognito Reipubl. morbo putant, facillimum esse, invenire remedia, (vide Dn. Praesidem in *Not. ad Monzamban. cap. fin. §. 4. lit. o.*) aut qui rerum abusus per leges violentas tollere antumant. Plane aliter hic procedendum esse docere eos debebat Tacitus *Annal. Lib. III. cap. 52. seq.*

z) Nihil est ab omni parte bes-


tum. Habet etiam processus aucusatorius sua incommoda. Notum est, quod in Anglia, ubi solus viget processus accufatorius, non paucae sint querelae de falsis testibus, aliisque abusibus. Media via incedendum. Vitia Reipubl. dissimulare, aut pro virtutibus commendare, corrumpit animos discentium, eosque ineptos reddit ad Rempubl. bene gerendam. Initium prudentiae est, agnoscere naevos Reipublicae. Sed cognitis morbis politicis properare velle ad emendationes violentas sub specie zeli & pietatis, pertinet ad consilia Pseudo-Politica, quibus Pontifices cum dissidiis universa- libus totius orbis confirmarunt suum Vicedatum in his terris. Et hujus falsae doctrinae arcana, in hac Evangelii luce ulterius occultare & non subinde data occasione detegere velle, cordatos amplius haut decet.

F I N I S.











01 A 6622

ULB Halle

3

003 105 741




VD18

VD18











15.

15

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**ORIGINE  
PROCESSUS  
INQUISITORII,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.  
DUCATUS MAGDEB. GUBERNAT. &c. &c.

In Alma Fridericiana  
*PRO DECRETO ILLUSTRIS AUCTORUM ORDINIS,  
SUB MODERAMINE*  
**DN. CHRISTIANI THOMASII,**  
S. R. MAJEST. IN BORUSSIA CONSILIARII INTIMI,  
UNIVERSITATIS DIRECTORIS, AC PROFESSORIS PRIMARII,  
ET FACULTATIS JURIDICAE ORDINARII

h. t. DECANI,  
*PRO DOCTORIS IN VTROQUE IVRE PRIVILEGIIS  
IN AUDITORIO MAJORI*

Die XV. Maji A. M. DCCXI.

*Horis ante & pomeridianis*

*solemniter ventilandam proponit*

**JOACHIMUS SALTZSIEDER,**  
POMERANUS.

*HALAE MAGDEBYRGICAE*

Literis JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.